59

# Privilegium VI Libertatis Pontalium.

Joannes Albertus Dei Gratia Rex Poloniae Supremus Dux Lithvaniae Russiae Prussiaq[ue] Dominus et Haeres ectt.

Significamus tenore praesentium universis quibus expedit. Quomodo sicut Civitati Nostrae Cheřm et Incolis sexus utriusq[ue] per olim Serenissimos Reges et Duces Poloniae Praedecessores Nostros certa Privilegia Libertates et Praerogativae extant datae et concessae. Quia eis licitum est per et infra Regnum Nostrum Liberis vijs, absq[ue] Thelonei, Pontalium et aliar[um] datiar[um] solutione ire transire et proficisci cum quibuscunq[ue] rebus ipsorum et mercantijs. Ita etiam propter Singularem Virtutem et constantem petitionem R[everen]di in Christo Patris Domini Mathiae Episcopi Chełmensis Oppidis infrascriptis Ecclesiae Cathedralis Chełmensis mensam Episcopalem concernentibus videlicet Skierbieszow Vamow, Pawłow et Sawin volens eisdem conditionem facere meliorem, et eosq[ue] Ipsi Civitati Nostrae Chełmensi in juribus conformare. Ipsis et Ipsorum Incolis sexus utriusq[ue] jura omnia, et praerogativas omnes, quibus Civitas ipsa Nostra Cheřm utitur hactenus Dedimus et indulsimus, damusq[ue] et indulgemus per praesentes dumtaxat ad tempus Nostri beneplaciti. Quod

Quod etiam eis ex nunc licebit interitus et reditus liberum vijs per et intra Regnum Nostrum cum quibuscunque rebus et mercantijs ipsorum cujuscunque Praedicti existent absque quovis Aresto Pontalium Theolonei et aliarum Solutionum solutione quas Civitas et Incolae Chelmensis Civitatis non solvunt. Quo circa vobis universis et singulis Dignitarijs Capitaneis Tenutarijs Burgrabijs, Theolonea-toribus, et quibuscunque Officialibus per et intra Regnum Nostrum consistentibus id innotescendo committimus et habere volentes mandamus, ut eosque Oppidaneos praefatorum Oppidorum cum quibuscunque Rebus et mercantijs proficiscentes in talibus Juribus et Praerogativis sic ut praemittitur eis, ad bene placitum Nostrum datis et concessis conservatis, et a quibus vis quorum inter est conservare faciatis in concusse et inviolabiliter sine Omni Aresto et Theolonei exactione. Harum quibus Sigillum Nostrum est subappensum testimonio Literarum. Datum Cracoviae Feria 5ta proxima ante Festum Conversionis Sancti Pauli Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo Quarto Regni Nostri Anno Secundo Ceslaus Cancellarius [illegible]